



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola XXII. Alexandri Papae II. Ad Gervasivm Rhemensem
Archiepiscopvm Eivsdemqve Svffraganeos. Excommunicationis
sententiam in Reginaldum monasterii sancti Medardi inuasorem a Petro
Damiano latam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

EPISTOLA XXII.

ALEXANDRI PAPÆ II.

AD GERVASIVM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPVM
EIVSDEMQUE SVFFRAGANEOS.

Excommunicationis sententiam in Reginaldum monasterii sancti Medardi inuasorem a Petro Damiano latam confirmat, eamque executioni mandari præcipit.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei Gervasio Rhemensi archiepiscopo cum suis suffraganeis, si obedierint, salutem & apostolicam benedictionem.

SI quod officii vestri est exequeremini, non abbatem, sed maleficum Reginaldum, a Petro Ostiensi episcopo, & a vobis in Conciliis iusta ratione, vt nobis relatum est, condemnatum, ab ipso sancti Medardi, quod simoniace inuasit, cœnobio penitus eliminaretis. Quod si causa cupiditatis, aut amore vel timore alicuius potentis personæ explere renuistis, hæc omnia Dei omnipotentis timori præposuistis; & nullum dispersis monachis solatium regrediendi præbuisistis. Quapropter eiusdem Rainaldi malitia magis multiplicatur & crescit. Hæc vero idcirco mandare curauimus, quia ex iisdem dispersis monachis quidam ad nos venerunt flentes & eiulantes; alii literas direxerunt lamentabiles, iustitiam sancti Petri, nostramque consolationem pro tali iniustitia requirentes. Vnde supradicti Petri vestramque nostra auctoritate corroboramus sententiam, eundemque Rainaldum & consentaneos eius anathematizamus, ipsumque cœnobium, quamdiu in eo manserit, interdicimus, & vt idem faciatis vobis mandamus.